



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

3.888







O R A T I O

In Funere

D.

S I G I S M V N D I III.
P O L O N I A E T S V E C I A E
R E G I S , &c.

Dicta

Ab Illustriss: & Rndiss: in Christo P.

D. STANISLAO LVBIENSKI,
EPISCOPO PLOCENSI.



C R A C O V I A E,

Cracoviae 1633 g maki p. 10.

In Officina Andrea Petriconij, S. R. M. Typegr.

Anno D. M. DC. XXXIII.

(1633)



XVII - 3888-III

1854 - K - 2661

O R A T I O

In Funere

D. S I G I S M V N D I III.
POLONIÆ ET SVEC: REGIS.

IMmortalitatē morte parari non temerè credidit veri indagandi sagax antiquitas; frustra queri genus humanum, quod breuis æui sit, magni viri magnis conuicere experimentis: celeriorem esse virtutis cursum, quam ut longo opus habeat æuo, usu discimus. Nullum, cuius virtus maturuit, immaturā morte extingui, vitā functos viuere, veræ solidæq; virtuti æternitatem deberi, animū cui illa tanquam suo principio adfixa est, nunquam interire, & Catholica veritas certâ fide tenet, & Diuinæ humanæq; loquuntur literæ. Ec-

ce luculentum eius rei conspicimus do-
cumentum. SIGISMUNDVS Poloniarū
& Suecorum, Gottorumque Rex Inui-
ctissimus; si vitam eius ad naturæ leges
reuocauerimus; si conditionem quā na-
tus est expenderimus; æstimari posset,
esse quasi non esset: lex quippe æterna
iussit, orta ut intereant, nata ut morian-
tur. Sed Hæroicæ tanti Regis virtutes,
longè à necessitate fati, à lege mortalita-
tis remotæ, viuunt vigentq; , non solum
in memoriâ hominum fixæ & sculptæ,
sed cælo ipsi, vbi immortalitatis sedes est,
insertæ. Vixit ille vitam, quā perpetuo
duratura propagatur immortalitas: æuo
breui confecit cursum, per quem aditur
æternitas: cælum non vetitâ petijt viâ,
sed per arduum magnarū virtutum iter
conscendit, effecitque, ne & breuis æui
fuisse dici possit, & morte immortalita-
tem consecutus, qui nunc fato functus
conspic-

conspicitur, vitâ viuat vitali. Magnares
est priscâ nobilitatis splêdescere gloriâ,
Auos Atauosq; numerare Reges, & lon-
go Imperatorum censeri sanguine, osté-
tare Maiorum stemmata bellicis parta
facinoribus, ijs ortam esse progenitori-
bus, quorum salute stetit vniuersi orbis
salus, sub quorum tutelâ nunquam publi-
ca nutauit felicitas. Ponamus nobis an-
te oculos Gotticę gentis, cum quâ nobis
si prima domus repetatur origo, idē ge-
nus est, multis seculis res præclarè ge-
stas, & ne plura commemorem, Roma-
num domitum euersumq; Imperiū: huic
SIGISMUNDVS Rex Paterni Auiti q; Ma-
gnorum, Potentissimorumq; Regum,
Regij sanguinis & generis debet primor-
dia. IAGELLONICA stirps clara, si quæ
alia, vel rebus gestis, vel generis ac san-
guinis, per omnes orbis Christiani Re-
gias Familias affinitatibus partiti fæno-

re, vel quod nunquam vitæ in bellis con-
tra barbaros gestis pepercerit, quod du-
os sui sanguinis Reges, Vladislau ad Var-
nam, Ludouicum ad Mochacium Tur-
carum rabiem, ab exitio orbis Christia-
ni arcentes saluti publicæ impenderit, &
nominis sui splendore aliquot secula il-
lustrârit: Hac CATHERINA IOANNI Re-
gi Sueciæ nupta, SIGISMUNDI Regis ma-
ter edita est. Clara & conspicua semper
est habita, inclytæ Sfortiadum Familiæ
gloria, illustribus propagata affinitati-
bus, magnificis exornata triumphis. Bo-
na Sfortia Alphonsi Regis Aragoniæ Fi-
liâ genita, Sigismundi Primi Coniux,
SIGISMUNDI nostri Auia materna, inde
genus traxit. Parte aliâ Austriaci nomi-
nis splendor, cuius radij angustis Euro-
pæ, Asiacæ, & Africæ, angulis contineri
cùm non possent, ad ignotos vñq; Anti-
podum, & alterius orbis recessus pene-
trârunt,

erarunt, ita fulget, ut cæteras omnes suā
magnitudine obscuret familias; si Reges,
Imperatoresque, eā profectos recense-
re liberet, nimis longa texenda esset nar-
ratio. Sol nusquam vel oritur, vel occi-
dit, quin Austriacum conspiciat, & quasi
secum circumferat imperium. Alber-
tus II. Romanorum Imperator, Sigi-
smundi Primi maternus Autus, SIGISMVN-
DI quoq; nostri, cuius ille ex filiâ Nepos,
generis est author & sanguinis. Non no-
stra hæc esse, dicet aliquis? fatemur vī-
trò: sed quotusquisque est, qui tantis no-
minibus sui ortus debeat exordia; qui tot
clarescat imaginibus, tot fulgeat stem-
matibus! Illud proprium SIGISMUNDI,
nasci in Regno Hæretico, Patre hæreti-
co: nunquam tamen vel modica erroris
labe infici; pietatis & religionis studio,
cæteris exemplo esse; iuueniles lusus se-
nili grauitate temperare; ab omni quæ
corpo-

corporis & mentis puritatem foedaret
contagione alienum gerere animum, ad
præclaros quosq; ausus suscipiendos, in
ipsis pueritiæ crepundijs accendi; longè
latèq; magni Principis de se spargere fa-
mam, remotos etiam populos ad amore
admirationemq; sui alicere. Horret a-
nimus, meminisse tamen iuuat, quo in-
statu, secundùm mortem Divi Stephani
Regis; res nostræ fuerint: nihil pacati, ni-
hil quod ad sedandas Ciuiles dissensiones
pertineret, audiebatur: vbiq; arma, vbi-
que Martius furor inualescebat; miles
in consilio, miles in Comitio; primas
tenebat partes: nullus erat qui pacé sua-
deret, qui infensos, & in mutuam perni-
ciem accensos, animos componere vel-
let; quod si quis meliora suasurus compa-
rereret, parum aberat, quin ab ijs qui suam
& patriæ heu dedecus, seruitutem exten-
nis Principibus addixerant, hostis patriæ

iudi-

iudicaretur. Percundum nobis fuit, nisi
ijs, qui partes Reipublicæ tutabantur,
cam mentem inspirasset Deus, Regem
vt SIGISMVN DV M dicerent: ad eius ad-
huc absentis, satisq; adhuc inualidi nomi-
nis famam, & bonis Ciuibus creuit ani-
mus, & eorum, qui externâ potentia
freti, aliò flexerant studia, spes labare
cœperunt. Venit SIGISMVN DV S exi-
guo, aut ferè nullo, militum robore cin-
ctus, sed Diuino munitus præsidio: Vr-
bem hanc ab hoste obsidione cinctam,
per medias & infestas inimicorum acies
petijt, Deo duce, Deo authore, elusis ho-
stium quæ iter facienti frequenter strue-
bantur insidijs, eò quò intenderat perue-
nit; cùm paulò ante eius auspicijs Ioan-
nes Zamoscius, quē felici quodam Rei-
publicæ fato natum credere par est, vt
extaret seræ posteritati perfectissimum
exemplar amantis patriæ Ciuis, fortissi-
mi & felicissimi belli Ducis, prudētis Se-

Zamoscius ex his
in Sigismundi re-
gi Telicommunio
dicit Maximilianus
Sylvius nobisque
in secessu stetit ex-
git et scripto ab ip-
so de condonante cui
ramento & Regno pro-
bat. post Sigismundus
eig sonrum communio
facit Iosephus manuus.
breui. Rom: Jany: Feb.

natoris, re præclarè gestâ, hostem acie
victum soluere obsidionem, ac intutio-
ra loca se recipere coëgisset. Deus im-
mortalis! qui dies ille, quâmlætus, quâmi
certus futuræ sponsor felicitatis! cùm
SIGISMVNDS, tam potentis hostis vi-
ctor, hanc Vrbem inueheretur, cùm ar-
cus triumphales; cùm Statuæ eius nomi-
ni sacratæ figerentur; cùm portæ Vrbis;
cùm priuatæ publicæq; ædes ignibus col-
lucerent; cùm miles, cùm populus con-
cordi voce felicitatem, prosperitatem,
ac Imperij diuturnitatem, ei compreca-
retur; cùm deniq; Regium SIGISMUNDI
caput sacro cingeretur diademate, Sum-
mo Antistite Stanislao Karnkouio Ar-
chiepiscopo Gnesnensi, notæ sanctitatis
viro, Preces & Vota concipiente, eadé-
que non irrito cumentu ad sacras funden-
te Diuorum aras. Ab hoc orientis Im-
perij exordio, tot annorum, quibus
SIGISMUNDVS summam rerum tenuit,

quasi

quasi continuus quidam torrens perpe-
tuæ fluxit felicitatis. Archidux Maxi-
milianus, cùm malâ quorundam ambi-
tione ad repetendum Regnum trahere-
tur, exactus Regni finibus, acieq; victus,
deditioне in Regis venit potestatem: in-
tra vnius anni decursum, & Respubl;
domi pacata, & cum Serenissima Domo
Austriacâ transactum; pax & fœdera
cum externis inita Principibus. Cate-
ris quidem Regibus ratio regnandi etsi
difficilis, non tamen adeò ardua videri
debet: nam & pacem colere suo arbi-
tratu, & dum libet bellum ordiri in eo-
rum potestate situm est; nobis vix un-
quam licet esse quietis. Nā vt alios, qui-
bus circumambimur hostes taceam: que
fides Moscho? quæ fides Tartaro? quæ
fides Turcæ esse potest? vix non eadem
horâ pacem pollicentur, amicitiam
spondent, fœdera sanciunt; mox infe-
stis agminibus percursori campos, cæ-

des & incendia spargunt , cultis regioni-
bus vastitatem inferunt , fidem datam ,
non ad iurisiurandi religionem , sed ad
suum commodum , occasionemque rei
gerendæ referunt . Itaq; Reges Poloniæ
semper inuigilare , semper in armis esse
oportet , eò felices , quòd nunquam illis
desit materia benè merendi de Republi-
câ Christianâ , parandæ immensæ glo-
riæ , & si ea esset ambitio , iusto & legitimo
bello proferendi Imperij Domus
Ottomanicæ Turcarum arma iam pro-
pè quadringentis annis , vt taceam vete-
res Saracenorum in Asiâ , Africâ , & Eu-
ropâ ferocissimos ausus , inualuere : bi-
na Orientis Imperia , ab hac peste sub iu-
gum missa , vniuersus Oriës turpi Maho-
meticæ sectæ dogmate fœdatus , duram
seruit seruitutem . Accessit Thracia ,
Græcia , Macedonia , Illiricus , Mæsia ,
& magna pars aurei quōdam fructus fe-
racis Hungariæ . Frustra Reges , frustra
Euro-

Europæ Imperatores, translatæ in Græ-
ciam arma Turcica armis sistere volu-
erunt : quotiescunq; fortunam & Mar-
tis aleam experiri contigit , aut victi &
cæsi , aut victis non dissimiles abierunt.
Primus omnium SIGISMVN DVS noster,
quadraginta abhinc annis Amurato III:
vim finibus Regni admouenti, arma fe-
liciter ostentauit, & desistere cæpto co-
egit. His proximis annis Ottomanus, sæ-
uus & audax , idemque gloriae audius iu-
uenis , excitâ & armata vniuersâ barba-
rie , in societatem belli assumpto , quod
haec tenus vix vnquam factum fuerat ,
Tartarorum Chamo, (ita illis summum
cius gentis Imperatorem appellare mos
est) totis viribus in nos incubuit : nun-
quâ Europa tam numerosos vidit exer-
citus ; nullus Regum tam ingentem bel-
lici instrumenti apparatum secum in aci-
em duxit ; ipso nominis sui terrore , bar-
barus Princeps se omnia consecuturum

Satis superbè sperabat. Frustra, namque
iam olim in fatis erat, ut coerciti Turca-
rum Imperatoris gloria seruaretur SIGI-
SMVND, & Regiae eius Domui: ut tu quo-
que Serenissime Rex VLADISLAE,
qui Castris hosti oppositis, & Patris, &
. Tua auspicia eo intuleras, in partem ma-
ximi venires triumphi. Hostis certè suā
etiam confessione victus, magnā parte
exercitūs amissa, nullo parto decore, do-
mum redijt inglorius. Moschorum vi-
res, Maioribus etiam nostris formidabi-
les, quis vñquam sperare, aut cogitare
potuit, cuiusquam potentiaz succubitu-
ras? Cessere eæ SIGISMV ND' armis, qui
iusto suscepto bello, biennique labore
Smolenscum expugnauit; Urbem ipsam
caput Regni Moschouïā, Basiliū Sui-
scium tanti Imperij suminā cum poter-
itate moderatorem, eiusque fratres de-
ditione in potestatem redegit; denique
Moschos datæ fidei, quā se tibi Serenissi-
me Rex

me Rex VLADISLAE obstrinxerunt, oblitos & rebelles, iterum à Te armis perdomitos, eā parte Imperij, quam illi quondam à Regno, & Mag : Ducat : Lithuaniæ, fraude auulserant, muletatos, pacis conditiones arbitratu suo latae, acceptare coēgit. Gens quidē illa Parentis Tui, & Tuis Serenissime Rex VLADISLAE, armis toties coērcita, non aliām ob causam violatis iuratis fœderibus arma sumpsit, nisi vt tuam augeret gloriam, vt prima initia Imperij Tui felici (quem voulēmus) successu belli illustraret, consecraretque. Neq; verò his tantum triumphis clarum & conspicuum esse voluerunt fata SIGISMUNDVM Regem. Tartari, durum in armis genus, ad vastitatem inferendam, ad prædas agendas, vsu & naturā facta gēs, feritate barbara, immanitate crudelis, multitudine infinita, fide nullā, superioribus seculis tantam cladem finibus Regni intulerat,

vt ex.

ut excisis funditūs Oppidis , & colonis
partim cæsis , partim in tristem abductis
seruitutem , ingentes campos , olim cul-
tos habitatosque , omnicultore & habi-
tatore vacuos fecerint . Serpebat hoc
malum in dies , & populationem hoste
promouente , semper ex ditionibus no-
stris aliquid decedebat ; nec quisquam
erat , qui Tartarum lato apertoque cam-
po , per suas turmas aciem struentem
vinci posse crederet : nam celeri cursu
& recursu pugnam ciere assuetus , incer-
tum fugiens , an cominūs arma stringēs ,
maiore inferat perniciem , vixtus sāpē ,
victorem sternit humi ; & dum minimè
timetur , terrorem infert , potiturq; vi-
ctoriā . Hanc tam immanis hostis vincē-
di , aut saltem impunē grassandi , consue-
tudinem coērcuit animosè SIGISMUNDVS
Rex , obiectis hosti nouis colonijs , &
munitis frequentissimis Oppidis . Quod
quidem insignis prudentiæ fuit , sine cæ-
de &

de & sanguine munire Imperium; tueri
fines, propulsare barbarorum impetus.
Illiud verò felicitatinè, an virtuti, imputā
dū, nullo vñquā Rege Poloniæ, Tartarū
pugnâ cāpestri toties fusum fugatumq;,
nūquā tot prosperis experimētis proba-
tū, vagū licet hostē teneri & vinci posse;
interdū etiā ita acie in ordinē redigi, ne
se loco sine sua pernicie mouere queat.
Nemo hic à me narrationē rerū gestarū
expectet: aliā occasionē, aliud tēpus, hęc
sibi poscit, & nos triūphos SIGISMUNDI
nō recēsemus, sed letii signamus notā, vt
in hoc funebri actu, in hac cōmunis do-
loris acerbissimā pōpā breuiter perstri-
cti, aliquātis per in animis hæreāt, donec
præstātorū ingeniorū operā stylo au-
rēo exarati, luce publicā aspiciant. Bel-
lica facinora, & parta armis gloria, & mi-
litibus & Ducibus, ita esse cōmunis solet,
vt cā Reges ex integro suā esse dicere ne-

G

que-

queant ; multū hūic decorū detrahit for-
tuna ; multū rei bēnē gerendæ occasio ,
virtutum tantūm solidā est possessio , hæ
vnius cultoris sui insident animo . Quis
Regum, aut Principū, SIGISMUNDI pie-
tatem, etiamsi maximè pius sit , æquare
possit , qui de Regno paterno periclitari
potius maluit, quam erroris Hæretici la-
be infici , vel quiduis impiū retinendi Re-
gni causa Hæreticis indulgere ? qui tot
augustis strictis Basilicis ; Aris positis; &
aureā argenteāq; suppellectili liberaliter
instructis, satis ostēdit fuisse sibi curē Di-
uinū honorē , qui totus diuinarū rerū cō-
téplationi immersus semper, & corde &
ore Deum spirabat, Deum sonabat ; in
Dei veneratione continuò versabatur.
SIGISMUNDI Regis pietati, Polonia &
Lithuania debet promoto Regni fines ;
hostes hæreditariostoties fusos fugatos-
que ; ius Regni assertum ; bellicæ gloriæ

studi.

studium propagatum ; libertatis iura cō-
seruata ; & ne plura in medium adferam ,
quadraginta quinq; annorum continuā
felicitatem ; Iustitiam , Temperantiam ,
Clemētiam , animi magnitudinem , Mu-
nificentiam , Prudentiam , ceterasq; ma-
gno Rege dignas virtutes , ita iuris sui fe-
cerat , vt non vsu quodam & consuetudi-
ne doctus , sed naturā ad omnes præcla-
ras actiones , quæ ab ijs virtutibus petun-
tur suscipiendas , factus meritò existima-
ri debeat . Felix profectò SIGISMVNDS ,
non tam vitæ actæ prosperitate , quam
quod semper contenderit , ne à fortunā
deponderet ; vt suæ felicitatis , Deo duce
& auspice , author effectorq; esset : voti
certè compotem fecit Deus , namq; ita
vixit , vt vixisse eum nunquam pœnitere
potuerit ; ita feliciter regnauit , vt me-
moriā nominis sui , immortalitati con-
secrārit . Quis locus ? quæ Regio in ter-
ris eius

ris, eius non plena laboris? quis adeo remotus orbis angulus, quo eius fama non peruerserit? Felicem Te, fortunatumque, Sanctissime Rex, prædicamus, binis Cæsareæ & Augustæ Domus Austriacæ conubijs. Ambæ Cōiugestuæ, non tantum Imperatorij sanguinis splendore, sed multò magis Reg: virtutum ornamentis excelluerunt. tanta in utraq; morum gravitas; tanta in vultu maiestas, vt supra conditionem humanam diuinum quid spirare viderentur; cā pudicitia, quam magistram innocentiae, & preciosum matronalis dignitatis monile appellare possumus, vt exemplo cæteris omnibus fuerint. CONSTANTIA quidem non solum vitae, sed & mortis consors, tecum simul effertur, tecum in eodem componitur tumulo. Felicem iterum te appellamus, inclyte Rex, hac Regiâ prole, quæ tuo exitu mæstam tristemque, tibi Genitori suo

tori suo supremos soluentem honores
cōspicimus: Duos quidem Sacerdotalis
toga augustiores reddit, quām si & pur-
purā, & diademate fulgerent Regio. Te
verò Potentissime & Inuictissime Rex
V L A D I S L A E, Vos Serenissimi ,
C A S I M I R E & A L E X A N D E R, Principes,
quā oratione alloquar ? Tristemnè au-
geam dicendo mætitiam? Sed iste squa-
lor, iste luctus, hæ quas vberes cum Se-
renissima SORORE, socia acerbissimido-
loris, funditis lachrymæ , solatia solida
requirunt, quæ nō aliundè Vobis peten-
da sunt, nisi ex memoria fixa in pectori-
bus Vestris, Sanctissimorum Parentum
vestrorum. Monita eorum, quibus vo-
bis Regiarum virtutum viam monstrá-
uerunt, semper hæreant in animis ve-
stris; eospræsentes vobis adesse, vos il-
lorum mandata accipere creditote, ma-
gni felicesque futuri, si ad eorum exem-


pla, studia actionesque vestras compo-
sueritis; non ita editi estis, non eā stirpe
nati, vt Vobis aliquando Maiestatis Ma-
iorum Vestrorum generis nobilitate
partæ, cuius hæreditatem creuistis, obli-
uisci liceat. Is est dignitatis Vestræ splé-
dor, vt vel minima labes in eā conspici
possit; ij Regiæ stirpis Maiestatis latè
fusi radij, vt nihil occultum celatumque
esse patiantur; in excelsò virtutis locati
Throno omnium oculis conspicimini,
omnium tacitis iudicijs designamini.
Viles & plebeiæ animæ, homines quos
sors nascendi puro proiecit sub aëre,
quos altius attollere caput nō sinunt fa-
di & ignobilis ortūs initia, & quos pro-
genitorum suorum vilitatis piget pudet-
que, serpent humi, & vitijs immersi in-
fordibus flagitorum delitescant. Vos
qui Maiestatibus tot Imperatorum, tot
Regum, tot Principum, quorum augu-
sto san-


Sto sanguine editi estis, fulgetis: Vos,
inquam, augusta, vos magna & sublimia
decent; à Vobis exempla petuntur,
non magis magnitudinis animi, quā
modestiæ, temperantiæ, & pietatis, sine
quā nihil arduum & excelsum animo
cogitari & suscipi potest: ubi hæc defu-
erit, ipsa quoque humana vilescit pru-
dentia, & optimæ constitutæ familiæ
præceps ruit fortuna. Vos ad omnes
præclaras actiones, & SIGISMUNDVS.
Pater, & Aquinculus excitat, Hector
nostrí seculi FERDINANDVS Impera-
tor, errorum extinxitor, Hæreticorum
salutaris pernicies, monstrorum orbis
Christiani pacem & tranquillitatem
ambitioso impioque ausu temerantium,
Herculeus domitor. Vos denique uni-
uersa hæc Respublica, in quā & cui na-
ti estis, suo simu receptos, amplexu fo-
uet, fouebitque; vestris fauebit incre-
mentis,

Eliae Petavius
Folio: II.
Ingeni:

mentis; præclaros vestros, quos salutis
publicæ causa suscepturi estis, conatus,
suis promouebit consilijs: hæc Patria,
hæc mater vestra est, huic & amorem
debetis, & tutelam; in vobis viuit Rex
noster SIGISMUNDVS, viuit eius pietas,
Iustitia, Prudentia, ac inuictum animi
robur. Vos ei per quem in lucem editi
estis, vestris Heroicis actionibus æ-
ternum duraturam parietis eam,
quam morte etiam suâ sibi pa-
rauit immortalitatem.







100. —

•KSIĘGARNIA•
ANTYKWARIAT



■ N° 32468 ■

